



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Academia Peccatorvm. Seu Conciones De Tota Parabola Prodigi Euangelici

Qvae Poenitentia Peccatorvm Sev Conciones De Prodigii Evangelici Reditv
Ad Patrem

Bosquier, Philippe

Moguntiae ; Coloniae, 1615

1. Panem, nobilissimum esse hominis alimentum.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55940](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55940)

CONCIO XV.

7. Εἶπε πόσοι μίσοι τοῖς πατέρος μου αἰσούουσιν ἄρτων, ἐ
γὰρ ἡ λείψανόν ἐστί μου. *Græc.*

7. Dixit: *Quanti mercenarij in domo patris mei abund-* *Vulgata.*
dant panibus, ego autem hic fame pereo.

7. Ait, quos sunt nunc mercenarij in domo Patris mei qui *Syriac.*
abundant pane, ego vero hic fame pereo.

ARGUMENTVM.

- Dicemus hodie
- 1. Panem nobilissimum esse hominis alimen-
tum.
 - 2. Quod ob pul. herimas rationes de panibus
ibi agatur in plurali numero.

A V E.

I.

Panem esse nobilissimum hominis alimentum.

NOLITE cogitare, dilectissimi, par-
uum quid esse dictum a Prodigio,
mercenarij patris mei abundant pani-
bis. Nolite fastidiose & dedignantur
dicere *panes, panes* sunt. Nihil aliud *Num. II.*
respiciunt oculi nostri nisi man. Parum *Ibid.*

est ad humanam vitam, non in solo pane viuit homo: *Iob.*
panis & vinum, & carnis modicum, ac obsonij, me-
lius iungerentur; si non tantum carnis, quantum
panis. *Quis dabit nobis carnes ad vescendum? quis*
det de carnibus eius ut saturemur? Caro carnem
fouet, & vt habet axioma *omnis repletio mala, pa-*
nis autem pessima. Et hi abundant, superfluunt pa-
nibus, iis tantum oppleatur. Sic loqui possunt Cer-
beris *carniuori, quorum Deus venter est,* homines
Epicurei, carnales; non Pythagorei osiores carnis, &
omnium eorum quæ vitam acceperunt, Philosophus
tamen nimium supersticiosus, quæ vt Christianus sit,
S † qui

qui manducant quicquid apponitur; aut vt Carthaginius fiat, nam pisces etiam gustare noluit, quia uerant. Quam superstitionem ex errore traxerat, necio quam fingens transanimationem, ac renascentiam

Erasm. in colloq. de Ichthyophagia.

Franciscus Rabelais lib. 5. cap. 29. & Erasmus in colloquio de Ichthyophagia, monstrant sibi non futurum satis, si abundarent panibus: tantopere declamant contra pisces, & cibos quadragesimales. Nostri Hugenotæ tāquam manifesti carnis amici, & voluptarum, inimici crucis Christi, minus etiam tali contenti essent obsonio. Abundant panibus, panibus: cur nō carnis? Faxit Deus ne nos hic tales habeamus. Dico nihilominus helluonibus istis ac fastidiosis, non esse panem puris ita liberaliter tractari panibus. Primo enim mercenarij solum fuerunt, lucrantes pecunias, quibus uina & obsonia possent redimere. Verisimile enim est Prodigii patrem, operariis suis victualia tantum dedisse, nō vt quidam, qui pro pecunia aut tota aut ex parte, frumenta, carnem, boues, porcos, pannum dant, ac insuper etiam fraudant, quia corrupta sunt, aut accipientibus non necessaria, saltem in tanta copia. Secundo magna tum erat fames, saltem in regione Prodigii: forte & in ipsius patria. Ac quæ tempore fertili nascamur, ingrauescente annonæ, cum terra pene in cibum vertitur, deliciae putantur. Quæ prius tanquam noluit anima mea, nūc pro angustia sibi mei sunt, dicit Propheta Iob. Sordide uitam oblectabas pane, in paup. pia, dicit Plautus.

Plaut. in A. sin. act. 4.

Iob 30.

Quid in ista Parisiensi fame non est manducatum? Iob recenset tanquam mirabile quod egestate & fame steriles mandebant herbas & arborum cortices, & dicit iuniperorum erat cibus eorum, qui de conuallibus rapientes, cum singula reperissent, ad ea cum clamore uerbant.

Sed Parisiis commederunt ardosias commolitas, panum loco. Parumne igitur erat mercenariis panem accipere ad saturitatem, cum alibi mercenariis nec sat glandis, nec sat siliquarum. Et cupiebat implere ventrem suum de siliquis quas porci manducabant. Mercenarij- girur

gitur isti, si temporis habeamus rationem, admodum
præ aliis fuere felices; etiam si solo abundarent pane.
Panis esurienti præ omnibus sapit.

*Iudicis officium est ut res ita tempora rerum
Querere.*

Tertio quis scit num forte tota hæc parabola iux-
talitteram non acciderit, cum frumenta, mole, pistri-
na, pistoria, vix dum essent in usu; aut cū soli fere Prin-
cipes ac potentes panem māducarunt, reliqui fructus
arborū, glandes, pisa, fabas, legumina & nescio quid.
Si panem manducare tanta primitus res visa sit, cum
longo tempore victitassent glande, & rebus sponte
natis, ut primi agriculturæ inuentores, molitoria, pi-
storia, inessium segetum, pro diis habiti sint, ut Olyris
in Ægypto, Triptolemus in Græcia & Asia, secundum
Iustinum; Ceres aut Isis in Attica, Italia, Sicilia, secun-
dum Plinium & Diodorum Syculum; Saturnus in La-
tio secundum Macrobiū; & quidam Pillumus, ho-
noratus à pistoribus quod primitus artem pingendi
inuenisset; Noe magni æstimatus, quod excogitasset
aratra: cur non magni faceret Prodigus constitutus in
regione vbi glandes, poma, olera pransitabant, imo
& siliquarum esset inopia, patris sui mercenarios, in
regione, & domo, & tecto esse, vbi ad saturitatem om-
ni panum genere infarcirentur. Credat qui volet, aut
aliquis, tempore Domini nostri, aut istius Prodigi pa-
nem apud omnes nationes non fuisse in usu, Pro tem-
pore saltem Seruatoris nostri, hoc est quam certissi-
mum. Testatur enim Plinius suo tēpore multos glan-
dibus tolerasse vitam; ac etiamnum in Hispania glan-
des in deliciis habent, easque confecturis inserunt.
Sed quis ignorat Plinium, tantum naturæ secretariū,
vixisse sub Imperatore Vespasiano, cuius & negotia
curauit, 40. circiter annis, post Ascensionem Domini?
Et certissimum est pistoriam artem sero allatam Ro-
mam; illuc vsque Romanis cocto victitantibus fru-
mento, & Galli faciebant, & Germani; quod lixantes
donec finderentur folliculi, pro pane habebant vsque
ad bellum Persicum anno 580 ab vrbe condita: quo

*Ouid. lib. 1.
Trist.*

Iust. lib. 2.

Ouid. 4.

Fast.

Plin. lib. 7.

c. 16.

Diod. lib. 6.

c. 15.

Macrobi. lib.

1. Saturn. c.

7.

*Vide & Po-
lyd.*

Virg. lib. 3.

*de rerum In-
uen. c. 2.*

uen. c. 2.

Plin. lib. 16.

tempore pistores Asiani Romanos docuerunt fragmenta molere, pinsere, fermentare, & coquere.

*Plinius lib.
& cap. II.*

Prædictus Plinius testatur l. 8. cap. 8. *Pulcherrimum longo tempore vixere Romani, quoniam inde pulmentum, hodieq; dicitur.*

Tertium nouiter dicitur panem non habent, & magnum faciunt si a Christianis ille apponatur, quamuis etiam biscoctus sit, adeo putant esse lapidum.

Quarto. *Panibus*, inquit, ut monstrat omnis generis fuisse. Ergo & delicatior, & melior, & candidus, qualem etiam iam extra famem, sine obsonio facile comedimus.

Lucianus. *Locis aliquot, nominatim libello de mercede seruientibus, testatur album panem Græcis in diuitiis fuisse.*

Quinto. Panis inter optimos cibos est præstiosus homini à Deo: sed copia eum fecit contemptum. Nam *omne rarum carum*. Patet hoc tempore famis. Omnis cibo succulentior est, & salubrior. Comede carnes, bubulas, ouinas, vitulinas, porcinas, leporinas, ceruinæ, aues, pisces, comede & fructus, facile omnia hæc corrumpunt stomachum, difficulter digeruntur: ut & oua, & omnia lacticia, imo caseus pene putari indigestibilis. Qui cibos hos sine pane comedunt, decolorati sunt, putente anhelitu, qui non multum olet passillos aut odora menta Arabica: & raro carniuori iustitudo robusti, torosi, ac neruosi sunt, quam panuori.

*Senec. varia
& diuersa
inquinant
non alunt.*

Alij cibi ut placeant diuersimode ac multa arte condiuntur, & nihilominus nauseantur sæpe: solus panis nunquam displicet, nec bona nec mala valetudine, nisi appetitus ultimo perit, reditque primo. Primus & postremus sanorum cibis, gratus in omni obsonio, & solus manducatur, & cum aliis: alia non sine ipso. Aliqui natura caseum horrent, alij oua, alij alia; nonnulli superstitione, ut Pythagoras omnia quæ vitam acciperant; alij obligatione, ut Iudæi carnes porcinas; Adam arboris scientiæ boni & mali, & nos Catholici in quadragesima, ex instituto Ecclesiæ carnes, oua, lacticia, alij sua deuotione, ac religione libera, ut olim plurimi

plurimi qui pane tantum vivebant, sale, & aqua, aut herbis obuiis *Contentiq; cibus nullo cogente, creatis Arbutos foetus, montanaq; fraga legebant, Cornaq; & in duris harenna mora rubetis: Et qua desiderant patula Iouis arbore glandes.*

Ouid. Me-
tam.

Sed nemo vnquam inuentus est qui natura panem horreret, paucaque animalia, quę illum non manducant, (videte etiam quare Christus Iesus in pane sacramentum altaris constituerit,) nunquam cum lex vlla quod sciam prohibuit, paucę gentes adeo religiosę, aut superstitiosę, quę panem non adhiberent in cibũ. Imo & S. Hieronymus in pane & aqua rigidissimum constituit ieiunium, *Fortissimum ieiunium est aqua & panis. Sed quia gloriam non habet, & omnes pane & aqua viuimus, quasi publicum & commune ieiunium non putatur.*

D. Hieron.
li. 2. Ep. 14.
ad Nepot.
edit. Cansi-
siana.

Sic panis mirabili beneficio omnem in se continet saporem, qui hominem inuitare possit. Alij dulcia, alij amara, alij amarodulcia amant; alij salsa, vt Burgundiones quos ideo Galli sallos appellant, alij acria, alij odorata: panis autem quicquid in alijs gratum est, continet. Et quis nouit, vtrum panis à Græco πᾶν, i. omne non descēdat: quia scilicet habēs panē, habet omnia; habens obsonia sine pane habet nihil, quia sine pane nec sapida sunt, nec salubria. Panis omnium ciborum epitome est, sicut homo totius mundi. Panis etiam aliorum ciborum vitia corrigit, auget gratiam; vnde & prouerbiũ, bonus cibus omnis comitatus pane. Athleta, vt author est Galenus, homines qui ædificando robori vacabant, pane tantum & porcinae carnis modico pascebantur. Idem & scriptura indicat, toties dicens *robur panis, firmamentum panis*. Qui plenius videre volet quid panis valeat, legat historias Scotorũ. Dicuntur Scoti proficiscētes ad bellum extra limites suos, si per desertas regiones putent sibi futurũ iter, armēra ac pecudes secũ abigere, vt ex iis in via viuant: & quia stomachus, propter carnis sine pane manducationē, ipsis leđitur; vt & ei remediũ adhibeāt, sumũt farine modicũ ex saccello in quo librã farine aut sesquibrã in eũ vsum

vsus contulerunt, cum tenui ferri lamina: miscer
dein cum modica aqua, in scutella lignea, ac pastus
illam in candentem laminam fundunt, & continuo
panem conficiunt, ad eum fere modum quo in Ho
nonia nostra crustula parant, unde resecti Scoto
machum suum belle inueniunt curatum, ac reparata
vires, atque ita iterum redeunt ad carnes cibosque or
dinarios.

Si ratum potest panis talis qualis, nec paratus debi
te, nec fermētatus; si ita Scotos nostros restaurat, quid
faciet bene pistus, bene coctus, & ita paratus ut aqua
Plin. lib. 22. cap. 25. est? Panis hic ipse quo visitur innumeras pene commo
medicinas Ita conueniens nutriendo corpori, ut ap
scendo dictus sit, quasi pastor & nutritius iuxta Non
nium. Panum nauigantibus prima cura, prima
coctorum prouisio; panem ante omnia in manica,
quam non male panarium dixeris. Quod nomen etia
horreis & granariis publicis conuenit: quia porissimū
ipsorum firmamentum est panis. Primum ad panem
raptores aduolant, primum panem famelici clamant.

Nonnius.

Villamontanus de se refert, quod egressus de nau
cum omnibus suis sociis, in porru Iapha, terra Hiero
solymam versus instituerit iter. Mauri & Arabes ad
uolarunt in nauim quæ stabat ad anchoras, nihil pe
tententes nisi panem, alij eiusdem sortis latrunculi inci
derunt in eandem societatem, & nihil nisi panes ab
stulerunt. Primum hoc est quod esuriens quærit. De
quo historiam ex Herodoto adferam, non impro
nam. Dicuntur Ægyptij gloriari antiquitus populum
suum totius mundi esse antiquissimum. Quidam igi
tur ipsorum Rex, nomine Psammetichus, indagate
volens veritatem, existimauit sibi inquirendam que
lingua hominibus esset naturalis, ac primo omnium;
inde ratus commodissime fieri posse coniecturam.
Duos igitur recens natos sumpsit puerulos, deditque
pastori secreto nutriendos in stabulo, prohibens ne
quis verbum vllum illis loqueretur: sed tacite educa
rētur ad certum tempus, cum vero attingissent aetatem,
relinquerentur soli, sine cibo. Lipsis duobus annis,
curator

curator ipsorum impleto Regis præcepto aperuit stabulum, ac statim pueruli clamare cœperunt, Bec, Bec. Pastor nihil respondet: illi eadem verba repetunt; ipse hæc renuntiavit domino suo; qui eosdem iussit secreto adduci, ac eadem ex pueris audiuit. Inquisita est horum verborum significatio & inuentum lingua Phrygia ita appellari panem. (Io. Goropius lib. 5. & 9. orig. dicit Bec etiam in inferiori Germania significare panem) Ita Ægyptij Phrygas didicerunt antiquiores esse. Herodotus hæc se Memphis ex Sacerdotibus Vulcani ait accepisse. Alij opinantur puerulos istos nutritos fuisse à dæabus nutricibus mortis. Eodem redit, mihi hoc solum intentum est, monstrare panem nutriendo homini adeo esse naturalem, vt homo famelicus nihil nisi panem clamet. Opinor vt vir omnis concupisceret fœminam quam primum videret, etiam si ante nulla ei esset conspecta, naturæ instinctu, qui semper ad conseruationem speciei impellit; sic etiam hominē qui panem nunquam ante viderit, videntem eum inter cibos reliquos, reliquis etiam prælatum, tanquā conseruationi indiuidui magis accommodum.

Credat qui volet; Spagirici & quintæ essentiæ extractores, affirmarunt Ludouico Guyon, ex quo quædam ad hanc rem mutuauit, quod cum in vitrea sua vasula panem misissent, vt inde quintam extraherent essentiam, aliquoties se eum inuenisse mutatum in carnem. Si hoc verum est, non video quid mirentur hæretici, in venerabili sacramento, panem in carnem transsubstantiari. Sed mendaces an veraces sint Alchymistæ, magna panis gloria est, assumptum est præ omnia alia materia, vt transmutetur in Iesu Christi corpus, accantæ necessitatis fiat Sacramentum, vt qui panem istum non manducant, non viuunt in æternum. Magna panis gloria est, quod Christus se panem vitæ appellat. Magna panis gloria est, quod in lege Mosaica Deus tabernaculum suum propositionum panibus nunquam voluerit destitui.

Magna panis gloria est, quod cum Deus cælitus amicis suis miserit, vt Eliæ, S. Paulo eremitarum: nunquam

aut

*Guyon 2. li.
diuersarum
lectionum
cap. 12.*

aut raro carnes, aut cibos alios; ac patriæ pro-
 bio necessitatem eius explicamus, ac reliquis delictis
 præferendum dicimus, *miseræ conuiuia ubi panis
 fuit*, nunquam autem ubi caro, vel vinum deside-
 tur. Panis igitur inter cibos primus est, potissimum
 humani generis nutrimentum, ac ideo nihil paruum
 dicit Prodigus, cum mercenarios patris sui panibus
 dicit abundare. Præstat audire *vinum non habet, quàm
 panem non habent*.

Miror quis primus quasi blasphemans dicere au-
 sus sit, *pessimam esse repletionem panis*: nam id & con-
 tra rationem, & contra Doctorum sententiam est.
 Nam nec corrumpit, nec corrumpitur tam cito,
 quam carnes aut pisces, nec tam duræ concoctionis
 est quam caseus. Melius colorem pingit, melius an-
 litum, melius sanitatem & vires iuuat, quam carnum
 aut piscium copia.

Quod si dixerit aliquis intelligendum hoc esse de
 pane male cocto, nec fermentato, qui & ideo digne
 tur difficilius. Respondeo. Quando de panibus loqui-
 mur, loquimur de bonis, ex frumento bono, mundo,
 bene pisto, bene cocto. Quando enim de re loquimur
 cuius plures sunt species, accipimus eam semper pro
 famosiori & formosiori significatio.

Sexto. Panis nomine in scriptura omnia ad vitam
 necessaria, ad cuiusque statum, quasi in vno capite in-
 telligi (quid enim petimus cum panem quotidianum ro-
 gamus, nihilne aliud à Deo expectamus, quam panem?)
 Reges eadem nobiscum postulant, iisdem verbis
 igitur plus illi petunt, quam pauperimus quilibet.
 Nonne petunt quicquid Regio statui necessarium est?
 Et Diuina sententia, dicta in Adamum & posteros, *in
 sudore vultus tui vesceris pane tuo*, nūquid panem per-
 mittit nudum. Minime. Non enim ut opinor mandu-
 cabant panem ante diluuiū; sed herbas, & fructus. Quid
 igitur? Dicere voluit vesties te, & comedes ex labore
 tuo, herbas, fructus, legumina. Vnde Varablus optimus
 annotatione 35 huius capituli. Hebraismus *pro vultum
 parabis tibi cum sudore*. Et si bene notemus expontio-
 nem;

Genes. 3.

nem; panis, per anticipationem ibi dictus est, quasi comedes herbas terræ, & tamen pro illis sudandum erit. Sic igitur dicere possumus, Prodigum intelligere suum abundat panibus, vt significet mercenarios patris sui, victum & necessaria habere copiose, iuxta qualitatem suam; & sic nihil paruum dicit de felicitate ipsorum, respectu suæ infelicitatis.

II.

Quod ob pulcherrimas rationes de panibus ibi agatur in plurali numero.

Sed cum per panes intelligamus, quicquid humanæ vitæ necessarium est: non sufficeret dicere abundat pane, sed abundat panibus. Græcus habet *ἀεὶος ἄριστον ἄριστον*, panibus circumfluunt vertit Castaleon: scilicet vt tenendere possint. Sed cur tam speciatim dicit, abundat panibus. Credo plurali isto numero aliquid amplius, tam secundum litteram & historiam, quam secundum mysterium significari. Iuxta litteram indicare voluit, non tantum simpliciter necessaria, sed etiam quædam superflua, ad voluptatem fuisse ministrata: Quamuis enim vulgo vereq; dicatur, quod copia ingrata sit, id tamen intelligendum magis quoad excessum in vsu, quam in vtendi potestate. Edere, aut bibere nimium largiter, insuaue est; *copiæ ipsa nocet*: iucundum tamen habere copiam; ac si velis ea vtī, posse: si nolis, desinere. Atque ideo Dominus noster, cum miraculose panes suos ad pascēda tot millia multiplicaret, quamuis eos non intenderet nimium opplere, multiplicauit tamen ita vt 12. cophini fragmentorum, & micarum superessent. Et hoc vnum.

*Ouid. lib. 5.
Fast.*

Secundo. Forte dicit panibus, vt subindicet diuersos à patre datos fuisse panes; secundum diuersos mercenariorum ordines, vnicuique secundum suum gradum; omnibus tamen & singulis abundantem. Aliis panem atrum, aliis primarium, aliis secundarium, aliis bis coctum, aliis frumentarium, aliis hordeaceum, aliis siliginem, &c. Aliis recentem, aliis